

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Quasdam Positiones De Abstractionis Mentalis Constitvione Et Vsv

Marpvrgi: Ex Officina Mvlleriana, [1750]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879349123>


Druck Freier  Zugang



390

a. B.
48. B. 8.

Fa-1092 (5.)



12.

QVASDAM POSITIONES
DE
ABSTRACTIONIS MENTALIS
CONSTITUTIONE ET VSV

AVSPICE DEO T. O. M.

SERENISSIMO AC CELSISS. PRINCIPE ET DOMINO
DOMINO


F R I D E R I C O
HASSIARVM LANDGRAVIO RELIQUA
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

P R A E S I D E
IO. RVDOLPHO ANTONIO PIDERIT
SS. THEOL. LIC. PHIL. D. ET PROF. PHIL. PRACT. ORD.
AD DIEM IV. MARTII MDCCCL.
H. L. Q. S.

PVBLINE DEFENDET
AVCTOR
IOANNES NOLTEN
SVPERIORI-ELSVNGA HASSVS.

MARPVRGI,
EX OFFICINA MÜLLERIANA.

24.
23.
22.
21.
20.
29.
19.
30.
18.
3.
32.
16.
15.
14.
13.





DE
ABSTRACTIONIS MENTALIS
CONSTITUTIONE ET VSV.

Thes. I.

Quemadmodum in cæteris rebus ita fieri solet, ut, qui media ad finem obtainendum facientia adhibere nescit, ejus etiam impetrandi spe omnino excidat, nisi horum mediorum notitiam sibi comparet: sic quoque potissimum in repræsentandis objectis vix ac ne vix quidem nos rerum ideam, saltem distinctam nancisci possumus, nullis regulis, nullis viis ad eam ducentibus usuri.

Thes. II.

Huic ergo malo ut medearis, siquidem intellectu majorem perfectionis gradum comparare vel maxime Jus naturæ te jubet: merito Philosophi præter reliquos modos formandi ideas commonstrant, & commendatum volunt illum *Abstractionis*.

Thes. III.

Ad ipsam vero ejus definitionem commode accedere non prius posse nobis videmur, quam si pauca quædam præmiserimus. Nimirum, (id quod in institutionibus Logicis docemur, & ipsa etiam experientia

(2)

12.

24.

23.

22.

21.

20.

29.

19.

30.

18.

3

32.

16.

15.

14.

13.

*** IIII ***

rientia satis planum facit), si sit in anima repræsentatio sensualis, nobis repræsentamus ope sensuum, vel unum vel plura *Individua*, seu *Entia singularia*. Hæc, quamvis omnes compossibilis admittant determinationes, variisque circumstantiis sint involuta: deprehendimus tamen simul, in iis, quæ repræsentando observamus, occurrere similes æque ac dissimiles res, quibus quidem unum ab altero distinguitur. Quum itaque in unoquoque individuo non solum characteres offendantur, quibus illud ab aliis distinguitur, sed & insuper varii ei cum aliis communes: quæri jure posset, qua via ad ea, quæ pluribus individuis sunt communia, perveniamus, formantes ex hisce similibus ideam, quæ ea continet, & consequenter harum rerum constituit ideam superiorem? Quod problema non difficile nobis solutu erit, sequentes Philosophorum regulas observaturis:

- 1) Quicunque communes dati *Unius Individui* characteres detegere, atque ita characteres a suis determinationibus liberare cupit, inquirat in characteres, consequenter dati objecti, quantum fieri potest, formet ideam distinctam, determinantes rejiciat, determinatos vero retineat. Qua ratione gradatim ab ideis inferioribus ad superiores adscendere potest.
- 2) Ast ad *plurimum* characteres quod attinet, facile erit eos reclusu, quum similium diversorumque collatione instituta, omnia, in quibus individua non convenient, prorsus amoveris, similitudinem contra seorsim conceperis, vocabulo vel signo insignitam, quo facto, diceris *abstrahere*, Logice quidem.

Thef.

*** V ***

Thef. IV.

Est itaque *Abstractio* ille mentis actus, quo, data idea inferiori, ideam superiorem formamus.

* Per *Ideam Inferiorem* intelligitur ea, quae magis est determinata, quam alia quædam data. *Idea vero Superior* opposita se habet ratione, sc. quæ non ita est determinata. Idea itaque inferior plura continet, quam superior, id quod etiam ad abstrahendum requiritur (Thef. 4. & 3.) Patet ergo, quod hic regula locum habeat: *Animam esse instar Arithmeticæ.*

Thef. V.

Quum ergo, qui abstrætas ideas sibi acquirere volunt, ita procedant, necesse sit, ut inquirant in characteres, ut similia observent, &c. (per antec.) concludere inde licet, primo ante omnia requiri, ut multa a se invicem distincta probe distingueant, adeoque unius rei magis sibi sint consciæ, quam alterius, hoc vero efficiendi facultatem, quum *Perill. de Wolff* appellat *Attentionem* (§. 268. metaph. Germ.), vel ipsa luce meridiana clarius est, ad abstræctionem instituendam requiri *Attentionem*.

Thef. VI.

Quodsi autem in abstrahendo non sufficit, ut hunc solum claritatis gradum nobis conciliemus, verum & insuper necesse est, ut diversa, variaque obseruemus, omnes partes in individuo obvias, si-gillatim nobis repræsentemus, contemplemur, & inter se conferamus; ille autem animæ actus, quo hæc omnia acquiruntur, dicitur *Reflexio* (§. 272. Met. Wolff.) ultra inde sequitur, ut reflexionem quoque in subsidium vocent abstracturi.

A 3

Thef.

• VI •

Thes. VII.

Porro, quæcunque via nos dicit ad rei alicujus characteres, & partes seorsim considerandas, illa dicit ad *Ideam Distinctam* (vi def.) Atqui vero reflexio dicit nos ad partes rei seorsim perspiciendas (per præced.) Ergo & reflexionem ad ideam distinctam, per consequens quoque ad formandas ideas abstractas ducere, facile adparet.

Thes. VIII.

Quo minus itaque ac difficilius in abstrahendo, ideis distinctis carere possumus: eo magis allaborandum est, ut subsidia, ad eas impetrandas multum conferentia quæramus. In horum vero numerum refert *Perill. de Wolff usum vocum*, seu *cognitionem Symbolicam Sphis 317, 319, & 834. Metaph. traditam.* Quapropter & vocabulorum vel symbolorum usus, pariter in abstrahendo locum occupat haud insimum. (coll. Thes. III. nro. 2.)

Thes. IX.

Facultas distincte sibi notiones repræsentandi, vocatur *Intellectus*. Jam vero constat ex præced. quod abstrahendo characteres plurium individuorum separatos a suis subjectis, consequenter in universali nobis repræsentemus. Quum autem ejusmodi repræsentationes nominentur *Notiones*: negari nequit, intellectum quoque in abstrahendo obtinere locum. (conf. & §. 286. Met.)

Thes. X.

Acumen est habitus in uno objecto plura distinguendi (§. 850. Met.) qui habitus etiam intellectui in-

.. VII ..

inesser potest (Thes. 9.) Abstractio autem sine consideratione plurium non perficitur, consequens itaque est, ut acumine quoque non possint non uti abstractentes, idque haud contemnendam illis adferre utilitatem.

Thes. XI.

Dictum est (Thes. III.) Abstractionis cardinem in eo versari, ut similitudines individuorum observentur, atque detegantur, id quod & tunc fit, quando posita unica re, Abstractio instituitur: promptudo autem observandi rerum similitudines nomine *Ingenii* insignitur (§. 366. Met.); Proinde Abstractionem juvari ingenio, certo certius est.

Thes. XII.

Atque quum *Imaginatio Vivax s. fortis* dicatur, qua præterita clare & distincte reproducuntur (§. 833) ut adeo hac ratione probe consciū simus, quæ ab objectis continentur, atque affectiones, in quibus illa convenere, aut sibi fuerunt similia, observemus: Ingeniosus forti imaginatione gaudeat, oportet, ideoque & Abstracturus.

Thes. XIII.

Neque minus uterque polleat *Memoria fortis*. Nam hæc est facultas ideas reproductas, adeoque & objecta per eas repræsentata, optime recognoscendi (vi. §. in Tes. XII. citati) si autem ingeniosorum & Abstrahentium est, similitudines rerum animadvertere & retinere; (per præced.) manifestum inde est, haud secus id quidem fieri posse, atque recognoscendo ideas in mente antea productas.

Thes. XIV.

24.
23.
22.
21.
20.
29.
19.
30.
18.
3.
32.
16.
15.
14.
13.

** VIII **

Thes. XIV.

Egregie promoveri & dilatari distinctam rerum cognitionem, formando ideas abstractas, nonnihil jam vidimus. Atqui in inveniendis aut examinandis DEFINITIONIBVS, praeter alias regulas, vel maxime hanc præscribunt Logices Doctores, ut adsint notæ characteristicae, definitum aliis rebus non competere, indicantes, h. e. idea eminentiori gradu distincta: Abstractionem itaque etiam in definiendo locum sibi vindicare, nullus non ex his facile intelligit.

Thes. XV.


Quantopere autem & *Ontologia* abstrahendi facultatem in rem suam convertat, jamdudum demonstratum fuit. Ita enim *Celeb. Reuschius*: „Ad notiones illas Ontologicas, quæ terminis & Vulgaribus & Technicis indicantur, naturali facultate abstrahendi pervenimus: Si rebus obviis seu singularibus tribuimus, quæ iisdem insunt, atque talia nos jam ante aliis quoque rebus, tum obviis, tribuisse recordamur. Sic enim terminum illum pluribus communem concipimus, atque confuse in hisce exemplis notionem, termino significatam, eadem ratione, tanquam pluribus communem, seu abstractam, nobis repræsentamus.

-
- I. Existentia Specrorum plane in dubium vocari non potest.
 - II. Vel in ipso ordine etiam confusio deprehendi potest, & vice versa.
 - III. Deus solus veritatum inventor est.
 - IV. Argumentum pro existentia Dei a posteriori desumtrum, est preferendum illi a priori petitio.



Index.

- 1.) Christ. Gottfr. Hesse (J. P. f. F. Stiebratri) Primi ductus syllogisticis Philosophiae generalissime.
- 2.) Petr. Forsthälli Dubia de Principiis Philosophiae recentioris.
- 3.) Christ. Aug. Ciusius de Uta & Limitibus Principii Rationis Determinantis, vulgo sufficientis.
- 4.) Georg. Bernh. Belfingeri Articuli generales de Axiomatis Philosophicis.
- 5.) Io. Christoph. Dickeri (J. R. A. G. Baumgarter) Exercitia demonstrandi in nonnullis syllogismi affectionibus.
- 6.) Io. Charr. Joh. Biel de Vera & minia Simplicitate Elementorum.
- 7.) Christ. Henr. Stase de Anima humana non modi generis inter simplicem & compositam sufficiantia.
- 8.) Godofr. Plouquet de Materialismo.
- 9.) Thregott. Nic. Bagge de Vero inter Sensationem & Cogitationem differinere.
- 10.) Io. Guil. Schaubert de Idearum in anima conservatione.
- 11.) Io. Rud. A. Piderit de Quibusdam Regulis Intellectus.
- 12.) Io. Nolten (J. P. f. R. A. Piderit) de Abstractionis mentalis compositione & usu.
- 13.) Jan. Bergmarch. (P. P. Athlone) de Experientia vitiis circa eam generalioribus.
- 14.) Io. Gottl. Zornius (J. P. f. J. Ruffini) de Imperio voluntatis in intellectum.
- 15.) Godofr. Plouquet de Natura Affectuum.
- 16.) Georg. Bernh. Belfinger de Principiis quibusdam defendi Regulis ex comparatione corporis & animi eritis.
- 17.) Christoph. Zach. Haberd. Skubowius de Pugna analogorum modorum cum unicitate determinabilitatis in Deo.
- 18.) Io. Christoph. Dommerich de Approximatione Dei ad creaturas omnipresentiam eis non tollente.
- 19.) Io. Frid. Wittenhampf (J. P. f. G. Kauffelii) de Fato Turico.
- 20.) Nic. Barker de Admirabili operum divinorum Harmonia.
- 21.) Io. Jan. Titius de Necessaria investigatione finium divinorum circa res naturales.
- 22.) Io. Georg. Plotenhauer de eo quod in vita piorum longa & brevi beneficium divinum est.
- 23.) Io. Gottl. Fuchmannus de Genuso charactere legum divinarum proficuarum universalium.
- 24.) Georg. Frid. Mierendorf (J. P. f. G. F. Meier) Demonstratio: Pianas divinis bonitati Dei non esse contrarie.
- 25.) Oto. Supf. Rafel. Herle (Pref. Eod.) de Voluptate cum Religione consonata.
- 26.) Gregor. Langemach de Obligatione hominis ad Religionem ex Voluptate querenda.
- 27.) Andreas Grinberg de Obligatione hominum ad quarendam Revelationem.
- 28.) Io. Frid. Hagen de Felicitate.
- 29.) Frid. Supf. Tenzel (J. P. f. G. S. Nicolai) de Submissione mentis, vulgo Humilitate.
- 30.) Io. Gottl. Segur de Aquitate Naturali.
- 31.) Io. Supf. Hilt (J. P. f. C. Spangenberg) de eo quod turis natura est circa genos probitatis & coniunctam dispensationem.
- 32.) Supf. Lam. Wagner (J. P. f. A. Hartmanni) de Officiis erga Preceptoros.
- 33.) Io. Adolph. Hartmann de officio Cororum, qui cum Adversariis veritatem communicare volunt.
- 34.) Io. Charr. Oporini Apologia pro sua doctis Simplicitati contra Scepticos adversarum Corporiorum.



(13)

§. 47.

Mediator existere potest §. 44, & existere speratur §. 46 sed, an Deus voluerit eum existere & quibus omnibus conditionibus sit Mediator, si existit, ignorat ratio (per exper.)

§. 48.

Actus, quo Deus hominibus voluntatem suam de Mediatore hominum significat dicitur *Revelatio*.

Schol. Sumimus hic revelationem objective pro rebus ipsis, quæ significantur a Deo.

§. 49.


Deus est autor hujus mundi §. 10, ergo hominis §. 7. Sch. ergo ipsius rationis humanæ. Deus autor revelationis, si quæ existit §. 48, ergo ratio & revelatio consentient §. 13. 14. II, ergo, cum ratio doceat Mediatorem subire pœnas peccati §. 45. revelatione idem docebit; sed ex hoc unice non evincitur existentia veræ revelationis §. 47; ideo accedat id unde convincamur de origine Divina §. 48, h. e. Confirmanda erit eventu quodam supernaturali siue miraculo, omnis ut formido falsitatis exulet & ut vera sit revelatione.

§. 50.

Si existit Mediator vult Deus homines pœnis liberatum iri §. 45, hoc, si illis in hac vita proderit, cognoscant §. 43, ergo sub hac conditione necessaria est revelatione §. 48, ergo, cum probabile sit Mediatorem existere §. 46, & faltem existere possit §. 44, idem valet de illa.

Schol. Ex historiis constat, semper inter homines jactatas fuisse revelationes.

§. 51.



the scale towards document

Patch Reference numbers on UTT Scan Reference Chart T263 Serial No. 29

Image Engineering